Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift

6

Si quis deprehensus tenetur laqueo. uestiat nudum. alat egentem. et ceteris misericordie operibus studeat a uerbo aspero liberari. Illis enim solis qui terrenam habuere substantiam poterit dici. Ite maledicti in ignem eternum. Esuriui enim et non dedistis mihi manducare. Asperum uerbum. sermo durus. mala auditio.

Scapulis suis obumbrabit tibi. Confitentibus humilitate et deuotione gratias referentibus. non immerito ampliora beneficia promittuntur. Nam qui fidelis inuenitur in modico. iure constituitur super multa. sicut econtrario accipiendis indignus est. qui fuerit de acceptis ingratus. Itaque deuotioni illi gratiarum actioni respondet spes. non id solum inquit tibi faciet. sed et scapulis suis obumbrabit tibi. Credo in his scapulis geminam domini promissionem intellige. uite eius que nunc est pariter et future. Si enim solum promitteret regnum. et in munere deesset uiaticum. omnino conquererentur homines et responderent. Magnum quidem est quod promittit. sed perueniendi illuc nulla facultas datur. Propterea quippe post hoc seculum uitam promisit eternam. ipse dandum in hoc seculo centuplum caute promisit. Quid iam excusationis habemus o homo. Profecto obstructum est os loquentium iniqua. Quid plus afferet inimicus ad temptandum te. Non quia longa futura est uita tua. Et si grandis tibi restat uia. cur hoc timeas. cum fortis cibus datur. ne deficere possis in uia. Helye utique cibus allatus ab angelo est. quo nullus in humana consuetudine uilior inuenitur. scilicet panis et aqua. et tanta tamen in eo fortitudo collata est. ut quadraginta diebus ambulans non fatigaretur nec esuriret. Vis tibi hec cibum ab angelis ministrari. Mirum ualde si non uis. Quid si cibum hunc desideras. et talia ministeria. sed humili magis ambitione requiris. audi quomodo scriptum sit de domino. quia temptante diabolo et suadente ut de lapidibus panem faceret. restitit et dixit. Non in solo pane uiuet homo. sed in omni uerbo quod procedit de ore dei. Deinde temptationibus superatis. et temptatore fugato. accesserunt angeli et ministrabant ei. Et tu ergo si uis habere ministerium angelorum. fuge consolationes seculi. et temptationibus resiste diaboli. Renuat consolari anima tua in aliis. si uis in dei memoria delectari. Cum esuris. currere uis ad panem. An non audis dicentem. non in solo pane uiuit homo. Cur tanta uarietate distra